

Cartulaire de l'Abbaye de Redon en Bretagne: [832–1124], Nr. 305

Ad utilitatem tam presentium quam posterorum, litteris mandare placuit, ut memoriter possit teneri, qualiter Juhel Berenger, consul, nutu Dei a quo cuncta bona procedunt correptus, pro salute animae suae suorumque filiorum necnon ut sibi cuncta prospere succederent, tradidit Sancto Salvatore suisque monachis in perpetuum insulam quandam parvam in Brintanniam, quae nuncupatur Enesmur, liberam et sine alicuius viventis calumnia, nichil sibi nec alicui mortalium reservans, sicuti ipse eam libere possidebat. Quadam vice, dum ex more supradictus comes cum obtimatibus tocius Britanniae in plebe quae vocatur Lanmurmeler curiam suam teneret, et de communi utilitate sui regni cum ipsis tractaret, legati comitis Andegavorum, viri illustrissimi a suo comite publica legacione transmissi, plurima donaria secum deferentes, ad eum venerunt. In quorum adventu nobilissimus comes plurimum gavisus, accuratissime illos recepit, et ad hospiciam duci precepit. Tristabatur tamen admodum quod in adventu tantorum virorum vinum non habebat, quamquam medonem et cervisam habundantissime haberet, nec in tota terra reperiri poterat. Quid faceret, quo se verteret, nesciebat. Tandem in se reversus, ad salubre refugium confugit, nomen Salvatoris toto corde invocans, ut sui misereretur oravit, et de suo illius locum honorare spondit. Cumque haec sepe et sepius repeteret, et nomen Salvatoris acclamaret, divina Providencia nuntiacum est sibi a quodam rustico, in portu illius supradicte insule quoddam vas mire magnitudinis, vini meri plenum, esse inventum, quod vulgo tonna noncupatur. Quod comes audiens, admodum gaudens, simulque Dei clemenciam tacite considerans, equos sihi preparari iussit. Sed, priusquam ascenderet, cuius esset illa insula ubi Dominus tantum beneficium sibi prestiterat, requisivit. Cui dictum est a quodam suo dapifero quod sui iuris esset propria. At ille, cirotecam dextere manus extrahens, dedit illam insulam, sicut eam possidebat, Sancto Salvatore suisque servientibus in perpetuum, sicuti superius dictum est, coram multis nobilibus, et ipsius terrae qui donum firmavit, et basilicam in ipsa insula, sine alicuius viventis calumnia, fabricari iussit, et cimiterium ipse baculo, faventibus clericis et laicis, mensuravit. Hoc factum est in plebe quae vocatur Lanmurmeler, coram multis nobilibus, anno ab incarnatione Domini octingentesimo quarto, luna .XIV., indict. .III., epacta .XI. Cuius rei testes sunt ipse comes qui donum dedit; et episcopus prefatus, qui confirmavit, testis; Menki, vicecomes, testis; Alfredus Bluch, testis; Holedrus, testis; Hili, vicecomes, testis; Herveus Crassa Vaca, testis; et plures alii: Ritcandus, abbas, testis, qui donum accepit; Liosoc, monachus, testis; Rainaldus Kendlama, monachus, testis; et de laicis: Stephanus, testis; Gurian, testis; Willelmus, testis, et alii complures.